



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

32. Quis potest possessionem beneficij novit à Patre vel, amico per pecuniam, ipso ignorante, illud obtentum fuisse, quæritur, an in foro conscientiae teneatur resignare? Et quid de fructibus in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

quod regula. Sicut diximus de excommunicatione quod in dubio capitur pro majori, cap. penult. de sent. excomm. & in materia penali, & odiosa, qualis est ista simonia, nomine simoniae tantum comprehenditur illa quae propriissime est simonia, ut docent idem Gomez d. quast. 12. versicul. Cum igitur. At potius nomine simoniae significatur simonia iure divino prohibita, & ea tantum est proprie, & strictè simonia, ut constat ex simoniae definitione, quae est emptio, & venditio rei spiritualis: ergo. Vnde cum in Extravag. 2. dicitur, quomodolibet dando, &c. solum prohibetur modus; non obiectum, non enim dicit, quodcumque dando, sed quomodocumque, sive enim spirituale pro temporali per munus à manu, obsequio, &c. incurritur poenae. Tertio, quia cap. Cum olim, de rerum permutat. quod loquitur de permutantibus beneficia, tantum habet poenam privationis ferendam tamen, Excommunicationem vero non habet, & hanc sententiam tenet Sanchez in opuscul. tom. 1. lib. 2. capite 3. dub. 108. numero 2. & 3. juncto num. 4. individualiter pro casu nostro.

4. Notandum est verò cum Castro Palao ubi sup. n. 1. quod in Constitutionibus Pij IV. & Pij V. pensio, & quodlibet aliud sub nomine beneficii proprie non comprehensum, etiam si resignetur cum accessu, vel regressu, vel alio quovis modo simoniaco non prohibetur, nec punitur in Constitutionibus, quod etiam docet Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. de simonia, cap. 43. num. 4.

RESOL. XXXI.

An si quis resignet beneficium cum intentione, ut resignatarius iterum conferat, & resignet v. g. suo nepoti, committat simoniam prohibitam in Bullis Pianis? Sed difficultas est, an sola resignatio beneficii cum accessu, regressu, & ingressu, vel an etiam permutatio in supradictis Bullis prohibeantur? Et breviter declarantur praedicta verba accessus, regressus, & ingressus. Ex par. 9. tract. 9. & Misc. 4. Ref. 18.

AD hanc quaestionem sic respondet Machad. tom. 1. lib. 3. p. 3. tract. 3. docum. 18. n. 3. [Es tambien dudoso, y controverfo entre los Doctores, si la resignacion del beneficio hecha con intencion, que el resignatario buelva hazer resignacion en algun Pairente del Resignante, o que pague frutos del, sea simoniaca, y prohibida por Constituciones referidas. Suarez, Navarro, y otros defienden, que no basta que la resignacion se haga con intencion manifesta de obligar al Resignatario, que buelva à hazer la resignacion en su favor, o le pague frutos; sino que tambien es necesario que intervenga tacito, o expreso pacto desta obligacion; y porque sin este pacto juzgan, que no se comete simonia convencional, y por consiguiente ni punible por las dichas Constituciones. Otros defienden lo contrario, y que basta la intencion como se le manifieste à la persona, que huviere de recibir el beneficio, para que sea simonia confidencial, y expuesta à las penas de las Constituciones referidas; y aun algunos quieren, que lo sea, aunque no se aya manifestado à la otra parte.]

2. Itaque secundum priorem sententiam à Machado positam, dicendum est non sufficere resignationem fieri cum intentione manifesta arctandi, & obligandi resignatarium, ut in favorem resignantis beneficium iterum resignet, aut fructus solvat, sed requiri etiam tacitum, vel expremum pactum hujus obligationis. Tom. V.

Quia sing. hujusmodi pacto non committitur simonia conventionalis, & consequenter neque punibilis per supradictas Constituciones. Ad verba tamen Pij V. affirmantis censeri confidentiam simoniacam commissam, qui receperit beneficium ea intentione, ut postea dimittenti esset regressus. Respondet Navarrus cap. 23. n. 100. § 6. illa verba solum intelligi de presumptione, hoc est si in exteriori foro probetur dimittentem habuisse intentionem arctandi, & obligandi resignatarium ad sic resignandum beneficium, eo ipso praesumatur resignatarius commississe simoniam hanc confidentialem.

3. Verum, licet hæc sententia sit satis probabilis, mihi magis placet opinio contraria, quam docent Auctores, quos citat, & sequitur Castrus Palao tom. 3. disp. 3. de simonia, punct. 18. n. 4. existimat enim resignantem beneficium ea intentione, ut resignatarius maneat obligatus iterum in sui favorem beneficium resignare, vel fructus solvere, committere simoniam, modo tamen intentio illa recipiendi beneficium manifestetur, quia absque hac manifestatione solum est mentalis simonia, quæ poenis Ecclesiasticis non subjacet, ut constat ex cap. fin. de simonia.

4. Sed quia in dictis Constitutionibus Pij IV. & Pij V. prohibetur resignationes beneficiorum cum accessu regressu, vel ingressu ad beneficium, breviter, & clarè declarabo dicta verba. Accessus itaque vocatur, si mihi impedito ob etatem, vel alia de causa, Prælati conferat jus, ut quam primum capax sim, ingrediari beneficium, quod Petro interim confertur. Regressus dicitur, si beneficium à me possessum cedam alteri servato jure regrediendi ad illud; si forte ille pensionem non soluerit, aut Religionem ingrediatur, aut Episcopus fiat, aut præmoriatur. Ingressus verò dicitur, si beneficium mihi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignem, reservato mihi jure ingrediendi possessionem illius, si ille præmoriatur, aut fiat Episcopus; vide Lessium lib. 2. cap. 35. dub. 16. n. 98. & Ioannem Vvigers de just. tr. 7. cap. 4. dub. 17. n. 97.

5. Sed est difficultas, an sola resignatio beneficii cum accessu, regressu, & ingressu; an etiam permutatio in supradictis Bullis prohibeantur? Suarez lib. 4. de simonia cap. 43. n. 11. & Machadus ubi supra tom. 2. putant probabilius sic permutates non committere simoniam confidentialem, quia Pontifex solum de beneficiis acceptis ex resignatione, aut cessione loquitur. Permutatio autem non proprie dicitur cessio, & resignatio; ea de causa esto sic permutantes committerent simoniam, non tamen committunt simoniam confidentialem, & his Canonibus punitam. Sed optimè Castrus Palao loco cit. num. 2. putat secus affirmandum esse de Episcopo, & quolibet alio collatore beneficii, etiam ex causa permutationis, si sub iis confidentiis conferat. Quia verba Pij V. quoad collatores sunt valde universalia: ait enim si ordinarius, aut collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, &c. vacat autem ex causa permutationis beneficium, ut est recepta omnium sententia relata à Garcia 11. p. de beneficiis cap. 4. à num. 1. taliter quod non potest renunciare beneficium ex causa permutationis redire ad beneficium renunciatum sine nova collatione, etiam si permutatio non sequatur, seu non teneat, aut habeat effectum nisi renunciatio esset in manibus Pontificis, ut multis allegatis probat Garcia loco citato.

RESOL. XXXII.

Si quis post possessionem beneficii novit à patre, vel amico per pecuniam, ipso ignorante, illud obtinuit. Ecce 3 fuisse.

fuisse queritur, an in foro conscientie teneatur restituere?

Et quid de fructibus in praedicto casu?

Et nriatur Episcopus iure suo dispensare posse cum promoto simoniace in minoribus ordinibus, & prima tonsura.

Item, ut in majori ordine rite suscepto ministret, non autem in eo, quem per simoniam recipit, neque ut ad alios ordines possit ascendere, quod de eo debet tantum intelligi, qui sciens, & volens viam fecit sibi ad ordines per simoniam, sed ab eo, qui ignoravit datum fuisse pro se Ordinatori pretium, suspensio nulla incurritur. Ex p. 11. tract. 5. & Misc. 5. Rel. 56.

Sup. hoc sup. §. 1. Affirmativè respondendum est ex D. Thoma in 2. 2. qu. 97. art. 6. ad 3. Navarro con-
st. 95. & 97. de simonia. Suarez lib. 4. cap. 57. num. 35. ubi sic ait. Dico ergo, collationem factam sic ignorantibus ipso facto esse nullam, & consequenter habere hoc ex jure positivo. Ita sentiunt, mea sententia, reliqui Theologi cum D. Thoma, & sumitur etiam ex Canonistis super jura citata, quæ nunc amplius ponderabimus; præsertim ex Abb. in cap. penult. de elect. Castador. & Ludovic. Gomez apud Navar. supra. Probatur ergo assertio ex tribus effectibus ab omnibus receptis. Primus est, quia iste ignorans, cum primum sciverit vitium collationis, tenetur in conscientia statim relinquere beneficium, nulla expectata condemnatione, vel sententia, seu ad superiorem legitimum recurrere, ut de remedio provideat. Hoc docet D. Thom. clarè sequuntur Cajetan. Sotus, alij; & Covar. non audet negare, nec Navarr. qui expresse docet in 97. de simon. in princ. & idem sentit in 95. fatetur etiam Vgolin. d. capit. 8. §. 1. & colligitur clarè ex capit. ex in-
sinuatione de simon. ubi id notat Glossa verb. resignasti, Abb. & alij. Et expressius ex d. capit. sicut tuis, sic dicente. Quamvis secundum Sacrorum Canonum institutionem etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur. Et habetur in capit. Quicumque 1. q. 5. ibi: Postquam illas omnino dimiserint. Tenentur ergo eas dimittere in conscientia, etiam si non cogantur exterioris.

2. Secundus effectus, ex quo id evidentius ostenditur, est, quia tenetur ille talis restituere fructus omnes, non solum à die vitij cogniti; sed etiam à principio obreptionis beneficii, cum hac differentia, quod si fructus prioris temporis tenetur restituere tanquam bonæ fidei possessor, & ideo non tenetur restituere quos bona fide consumpsit, nec quos recepit tanquam condignum stipendium sui operis, ac ministerij, etiam si mediante titulo beneficia obtineantur, ut sunt distributiones quotidianæ, aut personales, quia bona fides totum hoc indubie operatur, estque maxime consentaneum rationi, & iustitiæ; tenetur tamen restituere fructus alios exstantes, ut D. Thom. dixit. At verò fructus posterioris temporis, seu perceptos à scientia vitij ingressus, & à mora culpabili in dimittendo beneficio, tenetur restituere, tanquam malæ fidei possessor, vel sicut diximus de illo, qui scienter acquisivit simoniace beneficium, in qua doctrina omnes etiam cum D. Thom. conveniunt, Covar. ubi supra. Navarr. d. conf. 90. 95. & 97. Castador. d. decis. 6. Vgolinus d. capit. 7. §. 2. Hæc autem obligatio restituendi antiquiores fructus non potest fundari, nisi in hoc, quod licet possidens naturaliter beneficium, illos recepit bona fide, tamen revera recepit ex re non sua, & ideo non fecit illos suos, ac subinde nec retinere illos potest, ergo signum clarum est, collationem à principio non fuisse validam. Nam si fuit valida, ergo recipiens verè possidebat beneficium suum, ergo faciebat suos om-

nes fructus ejus, quo ergo jure obligatur postea patrem eorum extantem restituere, vel potius à se abdicare (cum sit sua) nullo cogente.

3. Tertius effectus est, quia non obstante ignorantia recipiens beneficium simoniace, manet inhabilis ad illud idem beneficium obtinendum, indiget enim dispensatione, vel Papali in dignitatibus, & curatis beneficiis, vel taltem Episcopali in simplicibus, ut dicitur in capit. penult. elect. in 6. ergo signum manifestum est, relictum fuisse impedimentum ad tale beneficium obtinendum, etiam de novo: alias cur dispensatio, & cum tanto rigore, ac distinctione postularetur? Ergo multò magis erat inhabilis talis persona ad obtinendum valide à principio tale beneficium tali modo, scilicet per simoniacum ingressum, etiam à se ignoratum. Probatur consequentia, quia longè minus videtur iterum recipere beneficium liberè dimissum statim post cognitum defectum ab eo, qui alias potest illud conferre gratis, & sine ullo novo vitio, quam obtinere illud valide per vitiosum ingressum etiam ignoratum: sed ille ingressus (non obstante bona fide) reliquit impedimentum ad subsequenter collationem valide obtinendam, quantumvis aliàs honestam, & legitimam, ergo multò magis impedivit, ne prior valida extiterit.

4. Verum his non obstantibus (attendas quæstio amice Lectori) negativam sententiam sustinet Adrianus quodlib. 9. artic. 3. littera C. & ex neotericis Millardus tract. de penitentia capit. 65. in fin. 9. & novissime ex Societate Iesu Stephanus Bannius in præsi beneficiorum disputat. 16. quæst. 55. ubi docet Primum, talem collationem in foro conscientie validam esse, nec ita provolum teneri ad restitutionem fructuum quos percipit ante simoniam cognitam. Alterum, ubi ea nota fuerit, non obligari illum illic in conscientia renunciare beneficio, nec si illud reinuit post tam notitiam, teneri ad restitutionem fructuum, ante sententiam judicis, ejusdemque executionem. Ratio est, quod collatio facta ignorantibus simoniam, causa sua admissam esse, sit valida, nec enim est jure naturali irrita, aut divino, ut probat Suarez, capit. 57. numero 15. nec Ecclesiastico, cum nullus Canon profertur, quo expresse irritetur: ergo cum collatio beneficii, quæ est rata, det jus ad illud, & ad ejus fructus, eo spoliari beneficiarius non poterit, nisi sit expressus Canon, in quo dicatur, cum, cui ignorantibus simoniam causa sua commissam, beneficio est collatum, illud ante omnem sententiam, ipso facto amittere, ubi primum de tali vitio docebitur, sed nullus est talis: retinere ergo illud poterit, ejusque fructus omnes, donec per sententiam iis privetur.

5. Confirmatur hoc ipso, quod collatio est valida, verum jus beneficiario in beneficium acquiritur, & in fructus ejus omnes, quo spoliari iustitia illa non potest, nisi per Canonem quo hæc ei poena, ipso facto dicatur imposita, & ante omnem sententiam. At non est in jure Canon ullus, quo suam super hac re sacri Pontifices mentem expressam voluerint; sique beneficio à se, aut aliis donatum, ipso privantur ergo, &c.

6. Scio à Patre Suarez nonnullos tam ex decreto, quam decretalibus depromptos profert, quibus ostenditur, hunc, de quo agimus, cum simonia ad sacerdotium ab Episcopo admodum, id amicis ac propinquis mala arte preteritoque, eo ignorante molientibus, post habitam ejus rei notitiam, illud servare non potest, ut sunt Canon primus causa 1. quæst. 5. & 33. de simon. ex quibus concludit hic auctor, collationem talem fuisse invalidam, cum sacerdotia dimitti ne-

De Simonia, &c. Resol. XXXIII. 331

cessario non debeant, quæ sunt acquisita, collataque legitime.

7. Sed dicendum est in primo illo Canone, agi duntaxat de foro exteriori, & de dispensatione in illo obtinenda, cum enim hæc haberi nequeat, nisi beneficium dimittatur, & fiat nova collatio, mirum esse nulli debet, si id Pontifex fieri imperet.

8. Ex secundo, argumentum peti nullum efficax potest, ad ejus rei fidem, quam auctor propositam habet, quia etsi in odium simoniæ, Papa beneficium illico dimitti velit, & hanc in eo admissam esse constat, contendendo tamen nullam in eo Can. penam addi, quæ voluntatem in Pontifice indicet obligandi sub mortali, ad petendam novam collationem beneficij simoniacæ collati ignorantibus, ubi id factum esse causa sua per amicos intelligit, quare peccabit, si Pontifici morem non gesserit, impetranti beneficium, ita acquisitum, relinqui, non tamen mortaliter, nisi forte ratione scandali, quando ejus simonia est omnibus nota, aut ex contemptu Ecclesiæ parere renuit, neutrum si erit, eaque dimissio ob causam legitimam omittatur, nullum erit peccatum, talis est futura, si simonia erit occulta, & non expediat eam sciri, ne ipse sibi aliusque creet infamiam.

9. At enim (inquit) qui est simoniacæ, ignoranter tamen, de beneficio provifus, fructus suos non fecit, quos proinde restitui omnes est necesse, quod non accidit, si fuisset ejus collatio valida.

10. Major est falsa, cum talis pœna non legatur in ullo Canone, tam ante, quam post simoniæ admiffam, non tamen in ista. Verum negari nequit (inquit) quin ei dispensatio sit necessaria. Omnino, sed in foro duntaxat exteriori, ne puniatur, & beneficio privetur. Dices tertio, collationes beneficiorum omnes, in quibus intervenit simonia, ita decernente Paulo II. nulla esse. Respondendum loqui in sua Extravag. Pontificem de his duntaxat, qui scienter, & ex industria simoniam contrahunt, de ignorantibus sermonem ei nullum esse, sit pro argumento, quod Pontifex simoniacos ipso facto excommunicatione percussos esse velit, qualis in ignorantes, utpote innocentes non cadit. Hucusque Baunius, qui etiam obsevat hanc suam sententiam Lessium de justit. lib. 2. cap. 3. dub. 25. numer. 1. 44. tanquam probabilem admittet, ego non recedo a sententia, quam docui, nam illam in praxi amplectam video in hac Romana Curia, in qua scribo. Nec desera hic etiam observare doctrinam Parisij de confidentia questione 14. numero 34. loquentis: Et hic non omitam, quod forum conscientie ligat, & validat actum, in quo est prætermiffa forma tradita, vel non servata, dummodo dolus non intervenerit. Innocent. in cap. quia propter, de election. Ioann. And. & Abb. in cap. is qui de sponsal. Abb. in cap. 1. de constit. ubi Felinus, & Decius numero 28. 29. Gemin. in cap. 1. per illum textum de sponsal. in 6. Ancharan. in cap. beneficium questione 7. de regul. jur. Iason in l. si non sortem numero 4. ff. de condit. indeb. Gig. de pens. questione 34. numero 8. Quod nota pro eo qui non publicavit resignationem juxta Gregorianam, non emisit professionem fidei, non fuit approbatus ab examinatoribus electis in Synodo Diocesana, habuit beneficium per electionem non servata forma tradita à jure, vel præsentationem patroni elapso tempore, aut per collationem non habentis facultatis, vel habentis, & non valentis conferre propter excommunicationem, suspensionem, aut alienam causam. Nam illi omnes videntur tuti in foro conscientie, Abb. in cap. 1. de integritate restitutione, ad finem. Anchar. Reg. 1. de reg. jur. 9. 7. col. 34. Tiraquell. in tract. de leg. comm. gloss. 2. n. 20. Boët. decis. 1. n. 15. cum aliis allegatis per Covat. in cap. cum esset, n. 5. de testam. & in reg. peccatum

§. 3. num. 9. Dominicus Soto lib. 4. de just. & jur. q. 8. art. 3. & plura exempla hujus notabilis conclusionis affert Nicom. in cap. quoniam contra, par. 1. num. 682. de probat. Hæc omnia Flaminius ubi supra. Sed hanc sententiam Georgius Branden super concordatis inter Sanctam Sedem, & Nationem Germanicam, q. 5. n. 13. putat non esse extendendam, sed omnino restringendam ad forum conscientie purum, hoc est, quando defectus formæ, vel tituli est ita occultus, quod probabiliter nemo alius cogitationem de eodem defectu habebit, & ex petitione novæ provisionis, vel dimissionis beneficij, provifus pateretur magnum damnum status, vel famæ. His duobus concurrentibus, titulum alias de jure nullum in foro conscientie sustineri, recte ex mente allegatorum DD. assentimus.

11. Notandum est etiam hic obiter, quod docet Comitulus lib. responsionum moral. q. 41. Episcopum jure suo dispensare posse cum promotio simoniacæ in minoribus ordinibus, & prima tonsura, item ut in majori ritè suscepto ministret, non autem in eo, quem per simoniam recepit, neque ut ad alios ordines possit ascendere.

12. Quod de eo tantum debet intelligi, qui sciens, & volens viam sibi ad ordines facit per simoniam, ab eo enim, qui ignoravit datum fuisse pro se ordinato pretium, suspensio nulla incurritur; Navarrus cap. 15. numero 68. Henriquez libro 3. capite 37. numero 4.

13. Ratio est, quod culpa caruit in susceptione ordinis hoc modo, potest ergo, quia simoniacus non est, remanere in suo ordine, in c. de simoniaci, tit. de simon. Vide Baunium loco cit.

Sup. hac ignorantia sup. in tr. 3. Ref. 55. & in aliis ejus primæ not.

RESOL. XXXIII.

An permutantes beneficia sine Superioris permiffu, incidunt in censuras, & alias pœnas, ut simoniaci?

Idem est de reservantibus sibi pensionem sine Papa auctoritate.

Et an Superior sufficiens ad permutationem sit Episcopus vel alius Prælati inferior, ad quos collatio beneficij, aut institutio spectat, & non in aliis?

Et an inter se beneficiarii possunt tractare de permutatione, accedente auctoritate Superioris futura?

Et an sit necessaria aliqua causa in permutatione beneficiorum?

Et in textu hujus Resolutionis explicantur aliqua causa pro praxi hujus ultima difficultatis: Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 17. alias 16.

§. 1. **N**egativam sententiam tenet Petrus Navarra lib. 2. de restit. cap. 2. n. 436. ubi sic ait: Tandem colligo, an prædicta de excommunicatione, & restitutione, tam beneficij, quam fructuum accipienda sint de simoniaco, contra jus positivum, ita ut si duo permutent beneficia traditione sequuta, sine licentia superioris, sint excommunicati & uterque beneficio ipso facto, privati, fructusque perceptos, & consumptos restituere teneantur? Et sanè videri posset alicui quod dictæ pœnæ talibus à simoniaciis incurrantur. Primum, quia in cap. cum olim de rerum permutatione, prohibetur pactum inter beneficia sub privatione beneficiorum. Secundò, quia in Extrav. 1. fulminantur illæ pœnæ contra simoniacos. Constat autem in jure, esse verè simoniacos, qui sine licentia superioris dant unum spirituale pro alio, ut supra latè probavi. Vnde in cap. questum de rerum permutatione dicitur labem continere simoniæ. Si igitur in jure tales simoniaci dicuntur, sequitur sub illa Constitutione Pauli II. comprehendi, maxime quia ibi dicitur

Sup. hoc sup. in ref. 6. §. 1. cursum ad med. à vers. quod proinde, & in ref. 7. §. Nota etiam breviter ad lin. 10. & in ref. 8. & in ref. 30. §. Nota vero in fin. & in ref. 5. §. 1. in fin.